

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio moralis de religione hominis secundum legem  
naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von  
Götz, Johann Heinrich**

**Lipsiae, 1698**

**§. IV**

**urn:nbn:de:bsz:31-102660**

esse existimamus. Afferuntur præterea viæ idem demonstrandi quām plurimæ, quas passim legere apud Philosophos licet. vid. Theoph. Raynaud. Theol. Natur. dist. 5. quest. 1. artic. 6. Celeberr. Dn. Sturmii Oculis Gnosticonos c. 4. Morneum de Veritate Religion. Christ. c. 1. p. 10. Scheurlin. Theol. Natur. pag. 32. seqq. Corn. Martini Compend. Theol. p. 62. seq. Drejerum Disputat. 16. Philos. Prime, inter quas communissimæ sunt, Via ex pulchritudine hujus universi, ex gradibus & perfectionibus rerum, contingentie ac necessitatibus, ab eo, quod est in homine, à creatura invisibili, à miraculis, à constanti & perpetuo omnium gentium consensu; quos modos prolixè & accuratè deducetos. vid. apud suprà citat. Excellentiss. Dn. Schmidum Theol. Nat. P. 1. scđt. 1. §. 6. in Not.

#### §. IV.

Attingenda hic etiam breviter videtur via, quam insistit in demonstranda existentia DEI Cartesius Medit. III, & hunc in modum procedit; Primò præsupponendum, quod per se notum, nihil unquam contineri in effectu, quod non priùs in causa fuerit vel formaliter, vel virtualiter; id quod procedit non solum de entibus actualibus, sed & objectivis, sive quæ intellectui mediante conceptu aliquo objectivè repræsentantur; quamvis enim talis realitas objectiva debili valde modo existat; non tamen est nihil, & hinc agnoscit & ipsum causam, in qua vel tale quid, quale à conceptu repræsentatur, formaliter existat, vel saltem facultas sit, qua causa habilis ad tales effectum producendum est; quod utique satis evidens, & in expedito est. Jam ergo examinemus, unde realitas objectiva, quæ in conceptu de DEO occurrit, sit; Cū DEum cogitat quis, etiam Atheus, repræsentat sibi substantiam summè potentem, infinitam, simplicissimam, immutabilem; Realitas ergo hæc objectiva cū in me non sit, neque formaliter, neque eminenter; inde necessarium est, causam habeat à me diversam, in qua eadem existat, quæ erit DEus. Nec est, quod excipias, realitatem objectivam nihil actuale esse, adeoque nec causam desiderare; Nam profectè, quamvis quod objectivè in intellectu est, non sit ens actuale, non tamen est nihil; & hinc ab aliqua causa descendit. Ais: Nullam tam realitatem objectivam in conceptu de DEO dati; cū infiniti

incapax



incapax humanus intellectus DEUM comprehendere non possit. Aliud autem est, comprehendere, aliud, clarè & distinctè rem percipere. Sanè enim cùm cogitamus DEum, velut in profundum mare intuemur, cuius quanvis nullos limites videamus, ejusdem tamen quod videmus, clarè & distinctè videmus. Neque hic Conceptus ex compositione perfectionum, quæ in creaturis deprehenduntur, existit; Nam sanè majorem in hâc idea realitatem invenimus, quam in cuiusvis alius creature conceptu; & præcipue inter perfectiones divinas occurrit nobis simplicitas summa, quæ uti omnem divisibilitatem excludit; ita nec compositionem admittit. Et in his sanè nihil absurdum video, utut multis secus videatur. In eo autem valde errat *Cartesius*, quòd existimat, hanc ideam esse nobis innatam, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa. Actualis enim talis Conceptus quî ante usum rationis existere in homine possit; cùm ipsum concipere rationis usum involvat? Res ergo hoc potius redit; quòd DEus nobis connasci fecerit potentiam proximam ad conceptum hunc de ipso, exerente se usu rationis, formandum, & inde ejus naturam quodammodo, & præcipue existentiam cognoscendam. Igitur hactenus luculentis & invictis omnino argumentis ex solo naturæ Lumine petitis existentiam. Numinis demonstravimus.

§. V.

Et hinc magnoperè miramur Atheos, qui hodiè magno numero in Gallia præcipue, Belgio & Angliâ, imò, quod pejus dolendum, in ipso Ecclesia gremio consurgunt; fatui ardentes, & nefio cuius sublimis Sapientiae stultâ persvassione turgentibus. Malignum generis humani Vitus, quod ubi semel grassari cœpit, nihil integrum; inclinantur omnia, & certissimam perniciem publicæ salutis trahunt. Duplicis autem generis hi fatui; Nonnullos Atheos vocant Prædictos, qui scelestâ & Epicureâ vitâ suâ DEum negant; qui nimur ita vivunt, ac si nullus esset rerum humanarum summus arbiter, qui scelera mortalium vigili oculo observet, & qui suo in ea tempore gravi ultione animadversurus sit; sed in sordibus voluptatis, vitiorumque cœno, velut alto sopore oppressi hærent; præsentia intuentes, de futuro nihil, vel saltē non magnoperè solliciti.